

Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann

Comparati mihi
Witzeb.
p. mat. 12. q.
p. hinc. 4. q.
Al. Joh. Reipol.
1624.

COLLEGII
DE SACRAMENTIS
Disputatio Quarta
De
CAUSA SACRA-
MENTORUM FOR-
MALI,

Quam
Annunte JEHOVA
SUB PRÆSIDIO
Dn. BALTHASARIS MEISNERI
S. S. Theol. D. & P. P.

In Collegio privato examinandam
proponit

M. GEORGIUS CRUSIUS
Tilsensis Borussus.

Habebitur die 20. Augusti, horis pomeridianis
in Auditorio minori.



WITTEBERGÆ,
Ex Officina Johannis Gormanni,
ANNO M. DC. XX.



DE UNIVERSIS

Reverendis, Clarissimis, Doctissimis

Dn. M. PETRO NICOLAI,
Archipresbytero Ecclesiae Insterburgen-
sis, & vicinarum, fidelissimo,

Dn. JOHANNI Kluge / Ecclesiae
Tilsensis Diacono meritissimo.

UT ET

*Amplissimis, prudentissimis, rerumq; multarum
usu experientissimis,*

Dn. JOACHIMO BOSTELMANNO,

Dn. CHRISTOPHORO CRUSIO,
Parenti filiali amore prosequendo,

Dn. CHRISTOPHORO WOITKE,

Reipubl. Tilsensis scabinis dignissimis

*Dn. Mæcenatibus, fautoribus
& promotoribus*

D. D.

M. GEORGILIS CRUSIUS,

Author & Resp.



CONTINUATIO.

Ontemplati in *Ἀποκρίσει* præc-
lente Sacramenti materiam, ad formæ
considerationem in præfente nos accin-
gemus, in duabus sectionibus, Deo suppetiante, de
eâdem disserturi: primo veritatem aperiendo κα-
τασκευαστικῶς; deinde falsitatem refellendo ἀνα-
σκευαστικῶς.

SECTIO PRIOR ΚΑΤΑΣΚΕΥ-
ΑΣΤΙΚΗ

THESIS I.

Vocabulum Sacramenti circa præsertim ma-
teriam duobus consideratur modis: Vel ut ὅλον
quoddam Sacramentale, ex diversarum re-
rum, terrestrium nim. & cœlestium hyperphysicâ
unionem ortum, quod debet distribui, multiq; com-
municari: Vel ut est ritus externus incurrens
in oculos, in quo Sacramentale istud totum com-
municantibus distribuitur, & ab ijs accipitur. E-
volutionem significationis vide, apud Clariss. Dn.
Præceptorem, Præsidem, parte 1. Philos. sob. cap. 4.
quæst. 1.

II. Pro duplici hac consideratione, duplex Sa-
cramento convenit forma: una Externa; altera
Interna.

III. Externa forma (quæ potissimum à The-
ologis formæ nomine venire solet, non exclusæ

D a interim

intertim internâ, quæ sano sensu etiam forma appellari potest) est actio, seu administratio, secundum ordinationem, & institutionem divinam.

IV. Esse v. actionem formam genuinam Sacramenti probant hæ rationes: I. Omnia in specie Sacramenta sunt actiones; nam & circumcisio est actio, nempe amputatio pellicule: Et agni paschalis mactatio, & assatio, & manducatio est actio: Et baptismus est immersio seu aspersio: Et cæna Dominica est manducatio & bibitio. Ergo & Sacramentum ipsum. II. Institutio divina singulorum Sacramentorum requirit & præscribit actionem. III. Sublatâ actione Sacramentali Sacramentum (exquisite dictum) nullum esse potest, ac ne

Gen. 17. 11. quidem cogitari. IV. approbant suffragio unanimi

Ex. 12. 7. pie docti Sacramenta vocâdo ritus & ceremonias,

Matt. 28. 19. c. 26. 2. quas in actione consistere quis ibit inficias?

Marc. 14. 22. 23. Luc. 22. 29.

1. Cor. 11. 23.

V. Elicimus hinc tale $\pi\omicron\rho\epsilon\sigma\mu\alpha$: Extra actionem Sacramentalem nihil habet rationem Sacramenti. Negatâ enim formâ negatur res ipsa. Actio autem Sacramenti forma. Ergo negatâ actione ipsum negatur Sacramentum.

VI. Composita est omnis actio Sacramentalis ex duobus, quorum alterum appellatur $\delta\omicron\sigma\iota\varsigma$: alterum $\lambda\eta\psi\iota\varsigma$.

VII. $\Delta\omicron\sigma\iota\varsigma$ notat actionem administrantis divinitus præscriptam, v. g. amputare præputium juxta Dei verbum: aquam homini affundere vel in aquam immergere in nomine Patris, Filij & Spiritus Sancti & c.

VIII.

VIII. Ἀλήψις notat acceptionem Sacramentum
usurpantis: quæ vel simplex ἀναδοχή & mera pas-
sio sacramentum suscipientis, ut in circumcisi-
one & baptismo: vel cum actione conjuncta, ut in
agno paschali & cæna Dominicâ.

IX. Tenendum hic discrimen inter δόσις
καὶ λήψιν & inter δόσεως καὶ λήψεως τρόπον.
Δόσις καὶ λήψις pertinet ad formam Sacra-
menti, & per eas Sacramentum est id, quod
est, & sine ijs esse non potest. Ac proinde utraq;
simpliciter necessaria, nec omitti potest. Τρό-
πος & dispensationis potest interdum esse liber &
admittit aliquam variationem, salvâ semper &
integrâ, atq; illasâ manente ipsâ dispensatione &
sumptione. ut: in baptismo sive abluatur homo im-
mergendo in aquam, sive aquam capiti aspergendo
nihil interest: ipsa v. ablutio simpliciter necessa-
ria, & sine ea baptismus esse nequit. Consuli hac
de re potest Clariss. Dn. D. Mentzerus tom. 2. disp.
Gies. disp. 6. th. 55. 56.

X. Distingvi solet forma externa in γενικὴ ἢ
Generalem, εἰδικὴ ἢ Specialem.

XI. Γενικὴ est forma omnibus Sacramentis com-
munis, & hujus contemplatio in precedentibus
expedita thesibus.

XII. Εἰδικὴ est forma singulis Sacramentis pe-
culiaris, per quam quodlibet Sacramentum est,
quod est, & ab alijs distinguitur. Quemadmodū
enim unum quodq; Sacramentum suam peculia-
rē habet institutionē, & proinde administrationē

singularem: sic etiam suam habet specialem formam, quam demon strabimus de Sacramentis singulari tractationem suscepturi. Paucis sic formam externam delibasse sufficiat.

XIII. Forma interna est Unio Sacramentalis. Cum enim hæc sit Sacramentorum natura, ut non sint res simplices, sed quiddam compositum idque mysticum, in quo quiddam est visibile, aliud v. quod in sensus non incurrit, sed fide apprehenditur: certe quemadmodum aliarum rerum compositarum nature diverse sub unitate quamdam veniunt, nomine uno expressam; sub quo tamen partes unde compositio fit sunt comprehense: ita in Sacramentis usu venire necessum est, ut & ipsa licet ex diversis rebus constent sub unionem tamen veniant, atque unum nomen sortiantur, sub quo partes essentielles comprehenduntur.

XIV. Qualis v. hæc sit unio: an essentialis; an personalis; an accidentalis; an significativa; an mystica ambigitur.

XV. ἡτοιώδη non esse hinc videre est, quod in ipso etiam usu Sacramentali res terrena & celestis maneant quo ad essentias distincta, neque invicem vel commisceantur, vel confundantur, vel commutentur, vel ullo pacto transsubstantientur. Et quanquam haut raro à nostratibus theologis asseritur, quod corpus CHRISTICUM pane in usu Eucharistiae accipiatur essentialiter: tamen subjectum tantum non modus unionis exprimitur.

XVI. ὑποστυτήν huic mysterio accommodari ne-

ri nequit, quippe quæ soli personæ CHRISTI proprie competit: neque alij rei s: mysterio est communicabilis.

XVII. Neque locum habet, quæ est κτ̄ συμ-
βεβηκός, sive illa κτ̄ μίξις per mixtionem; sive
κτ̄ μετεβολή per conversionem; sive κτ̄ σῶρον
per coacervationem; sive κτ̄ σωμαθείαν ἢ ὁμο-
θεσίαν per appositionem vel attingentiam; sive κατ'
ἀξίαν, ὁμοτιμίαν, ἑξουσίαν, ὁμωνυμίαν, per
dignitatem, ordinem, potestatem, aut similitudi-
nem; sive per δεμονίαν ἢ ταυτοβουλίαν per consen-
sum & voluntatem; s: κτ̄ μετοχὴν ἢ χάριν &c.

XVIII. Σημαντικῶς in significatione unice
consistentem, hanc unionem non exprimere in α-
νασευαστικῇ expediemus.

XIX. Relinquitur ergo quod sit μυστικῇ. Ut a.
commodius, quid ea sit, exprimamus, observandum,
unita in Sacramentis esse duorum generum;
Vel n. unitur pars cum parte, h. e. res terrena &
cælestis, quæ sunt partes Sacramenti materiales:
vel unitur Sacramentum totum cum pro-
missione, oblatione & collatione gratiæ, h. e. con-
junctim accipiuntur, tum Sacramenti substan-
tia, tum fructus finesq; principales.

XX. Distinctio diversorum unitorum duas di-
stinctas uniones causatur, quarum alteram ap-
pellamus generalem; alteram specialem.

XXI. Generalis (hoc nomine expressa, quod
omnibus Sacramentis tam Novi quam veteris Te-
stamenti communis) est unio, quæ Sacramentum ut

ut signum, cum promissione gratiae, ut signati
modo arcano ita copulatur, ut omnibus & singu-
lis utentibus eam significet & offerat, fidelibus ex-
hibeat, obsignet & confirmet.

XXII. Ex allatâ unionis generalis descriptione
duo elicimus: Dari hic quandam $\chi\epsilon\sigma\omega$. Sicut
nim inter omnia unita est relatio, & hic mon-
strabimus $\chi\epsilon\sigma\omega$, Relatum constituentes Sacra-
mentum; Correlatum promissionem; Relationē
ipsum respectū quo Sacramentum ad promissionē
refertur: qui cum consistat partim in significan-
do; partim in offerendo; partim in conferendo,
obsignando & cōfirmando; triplex oritur Rela-
tio 1. significatio. 2. oblatio. 3. collatio.

XXIII. Deinde cum Sacramentum indiscretē
omnibus utentibus gratiam offerat, oblatam v.
fidelibus tantum conferat & obsignet hinc due
species unionis generalis: quarum prior est ab-
soluta; posterior conditionata.

XXIV. Absoluta (hoc nomine â nobis insi-
gnita, quod non dependeat ab aliquâ conditione)
est unio inter Sacramentum & gratiae significa-
tionem & oblationem: omnibus exim participan-
tibus ea offertur s. credant, s. non credant.

XXV. Conditionata (â conditione fidei ita
dicta) est unio inter Sacramentum, & gratiae
collationem, obsignationem & confirmationem.
Non enim omnibus s. credant s. non credant con-
fertur gratia, sed credentibus tantū.

XXVI. Specialis est partiū Sacramēti materia-
lium

lium unio, quæ cum pro diversitate Sacramento-
rum veterum & novorum distinctæ, peculiaris u-
nio in veteri; peculiaris in novo Testamento.

XXVII. Unio Sacramentalis Vet. Test. quæ
Symbolum externum ut signum, cum promissi-
one de futuro Messia typis & corporalibus promissis involuta, ut signato ita conjungitur, ut Mes-
siam futurum req₃ ipsâ absentem significet, figu-
ret & adumbret.

XXVIII. πρὸς ἑσµα: Unio inter signa & signa-
ta V. T. non est realis: Quanquam enim signa
ista Christum juxta humanitatem præfigurarunt,
re ipsa tamen secundum substantiam non habue-
runt præsentem, ac sic proprie loquendo signa &
signata non unita fuerunt, quandoquidem vera
unio præsentiam unitorum requirit, & quæ sibi
invicem præsentia non sunt, inter illa nulla exi-
stet vera unio.

XXIX. Unio Sacramentalis N. T. quæ Ele-
mentum, visibile ut signum cum re invisibili ut
signato ita copulatur, ut eam non tantum signi-
ficet, sed insuper universis & singulis exhibeat, pi-
is quidem ad salutem, impijs v. ad judicium &
damnationem.

XXX. πρὸς ἑσµα: Sacramentalis hæc unio non est
cōversio externi Elementi in rē cælestem. 2. non est
crassa signi & signati in unam massam congluti-
natio. 3. non est unius in altero delitescencia &
localis inclusio. 4. non est mera relatio signi ad si-
gnatum in significando unice consistens. 5. sed est
mystica & ineffabilis rerum terrenarum cælesti-

sciumq; copulatio, ob quam in usu præcepto non solum signa, sed in & cum signis res cœlestes modo tamen nobis ignoto accipitur.

SECTIO POSTERIOR ΑΝΑΣΚΕΤ-
ΑΣΤΙΚΗ.

XXXI. Orthodoxâ & ὑποτυπώσῃ ὑγιαίνον-
των λόγων conformi sententiâ propositâ, errorem
Calvinianorum duplicem circa præsentem mate-
riam detegere ac refellere animus est.

XXXII. Prior error est, quod formam es-
sentialem Sacramentorum faciant analogi-
am γενικῶν. Ne v. videamur iis hunc errorem
assricasse, (sicut eos calumniari non pudet) placet
eorum proponere opinionem hæc de re, nullâ aut
syllaba aut litera mutatis: Forma, ajunt interna
& propria Sacramenti est pulcherrima illa ana-
logia signi ad rem signa tam, ac mutua relatio u-
nius ad alterum; quarum illa in comparatione ac
similitudine ad effectum, hæc in ordinatione signi
ad rem significatam propriè consistit. Et hac con-
junctio signorum & rerum significatarum in sa-
cramentis non naturalis per substantialem conta-
ctum & connexionem, aut accidentium, & sub-
stantiarum unionem: non localis per indistantiam,
aut inexistenciam unius in altero: non spiritua-
lis ipsa signa immediatè vivificans, sed tota Rela-
tiva. Ex Trelcatij junioris instit. lib. 2. loc. 9.

XXXIII. Hinc de forma Sacramenti Calvi-
nianorum judicium ferre non difficile. Et licet
magno verborum strepitu protestentur, se analo-
giam

giam non tantum referre ad solam significatio-
nem, verum etiam ad obfignationem, præ-
bitionem, fumos tamen venditant, & res pro-
testationi contraria, quod ad oculum demonstra-
mus. Quæfiti, quid analogia Sacramentorum
sit prompti sunt responsione, nihil esse aliud quam
similitudinem, convenientiam & proportionem
signi & signati. Dum innudâ similitudine ijs est
analogia, annon omnem remouent exhibitionem,
& præbitionem? Deinde dum in expositione ver-
borû institutionis in significando râtum subsistunt
(v. q. in sacra cenâ verba CHRISTI: Hoc est
corpus meum, exponunt, hoc significat corpus me-
um, vel hoc est signum corporis mei) annon præbi-
tionem omnem eo ipso sublatam volunt? Verissi-
mum E. quod forma Sacramenti Calvinianis ni-
hil aliud nisi Analogia $\chi\epsilon\tau\iota\kappa\eta$ & significativa.

XXXIV. Errore autem huic sequentes oppo-
nimus rationes. 1. Forma dat esse. Analogia $\chi\epsilon\tau\iota\kappa\eta$
non dat esse Sacramento. Nam quodlibet ali-
mentum potest pium hominem monere de alimē-
to spirituali, neq; tamen quodlibet alimentum
potest dici Sacramentum.

XXXV. 2. Forma interna & propria Sa-
cramentorum determinata est ab institutore. A-
nalogia signi & signati non determinata ab insti-
tutore. E.

XXXVI. 3. Quodcunq; discrimen essenziale
Sacramentorum Veteris & Novi T. tollit, id for-
mam Sacramentorum constituere nequit. Atquâ

Analo-

Analogia significativa & c. Distinguuntur Sacramenta ut umbra & corpus Col. 2. 17. Heb. 10. 1. At dum ambobus commune quod significant, annon in fumum abit discrimen?

XXXVII. 4. *Si analogia significativa est forma omnium Sacramentorum, consequetur, Sacramenta Veteris T. fuisse illustriora & clariora Sacramentis Novi T. Posterius non carere absurditate quis non videt? Ergo & prius. Connexionis robur in eo: quia per agnum Paschalem longe clarissime prefigurata fuit Christi passio & sanguinis effusio. In Baptismo vero & Cœna Dominica nullum tam clarum & evidens signum, vel significatio & adumbratio ostendi potest.*

XXXVIII. 5. *Si analogia significativa formam Sacramentorum constituit, absurdi hoc sequetur, sacrificia & omnes Typos Christi in Veteri T. fuisse Sacramenta Alias rationes addere non libet. Legi potest Clar. Dn. D. Menzerus tom. Gress. 2. disp. 6.*

XXXIX. *Quæ hætenus de Analogia disputata, non in eum finem prolata, ac si nulla analogia in Sacramentis locum haberet; sed quod Sacramentis non det esse internum ac essentielle: alias utraq; largimur manu, dari in iis quandam analogiam quæ qualis sit & quomodo se habeat, una atq; altera Thesis dabit expeditum.*

XL. *Consideratur v. Analogia vel in omnibus Sacramentis ad se invicem collatis, vel in uno & eodem Sacramento.*

XLI. *Analogia in omnibus Sacramentis ad se invicem collatis nihil aliud est quam convenientia*

entia in generalibus proprietatibus v. g. quod eorū institutio & ordinatio unice dependeat a Deo, quod sint cōposita ex duobus toto genere discrepantibus; uno terreno & visibili, altero cœlesti & invisibili.

XLII. Porisma: Analogia & proportio Sacramentorū inter se in ijs reb. quaerenda, quae omnibus cōmunes, non in ijs, quae cuiq; proprie.

XLIII. Analogia in uno & eodē Sacramento vel consideratur in respectu ad integrū Sacramentum & ad finem primariū: vel in respectu ad partes materiales, rem nim. cœlestem & terrestrem: hinc duae oriuntur huius analogiae species correspondentes unioni Sacramentali, quae ū altera venit nomine analogiae generalis, altera specialis.

XLIV. Generalis nihil aliud, quā conveniētia & conformitas quaedam inter Sacramentum integrum, & finem principalem, qui in omnibus Sacramento reperitur. Semper n. actio & administratio externa proportionem quandā habet ad finem, ob quem illa instituta est, ut: Circumcisio externa convenientiam cum Circumcisione spiritali. Agni Paschalis immolatio & manducatio figurat immolationem agni immaculati. In Baptismo est analogia inter lavacrum aquae, & ablu-tionem spiritualem, a peccatis. In Cena est analogia inter manducationem, quae fit ore & eam quae ex fide proficiscitur.

XLV. Analogia specialis est proportio partiū Sacramenti inter se. Habitudo a hac cū alio modo se habeat in V. alio in N. T. hinc aliā dicimus esse analogiā Sacramenti V. T. aliā N. T.

XLVI. Analogia Sacramentorū V.T. consistit tantū in significando, præfigurando & adumbrando. Vetus n. Testamentum totum gestabat umbrā: Ergo in Sacramentis etiam omnia typis & figuris peragebantur. In Circumcisione v.g. gratia pars terrena significabat cœlestem: ut n. externū præputiū amputabatur; ita Christus venturus amputaturus erat præputium cordis. In Paschate, ut agnus ritu externo mactabatur, cōmendebatur, & sanguine ejus aspergebantur postes; ita Christus venturus erat mactandus in ara crucis, manducandus in cœna, & ejus sanguine aspergenda liminaria cordis.

XLVII. Analogia Sacramentorum N.T. duplex est, altera interna & primaria, altera externa & secundaria.

XLVIII. Interna S. Primaria, quæ in ipsa institutione sive in ordinatione est expressa, & à genuino rei terrestris, ad quod ordinata est, officio desumpta, consistit nō in significando sed exhibendo; ita quidem, ut sicut res terrena verè accipitur, sic cœlestis realissimè cōmunicetur & exhibeatur. v.g. Quemadmodum in Baptismo aqua infanti visibiliter; sic Sacrosancta Trinitas invisibiliter quo ad singularem presentiam communicatur. In Cœna; sicut panis & vinum visibiliter; ita corpus & sanguis Christi invisibiliter exhibentur & accipiuntur.

XLIX. Externa & secundaria, quæ in institutione non expressa, sed ab orthodoxis Patribus pio studio proposita, non ab ipsa sacramentali actione, signorumq; genuino officio, ad quod Salvator ea ordi-

ordinavit, sed ab illorum natura cōmuni, & qualitatibus generalibus extra actionem Sacramentalem conspicuis desumpta, inq̄ similitudine & representatione consistit v. g. ut aqua elementaris abluit sordes corporales; sic benedicta Trinitas Spirituales. In cœna, ut panis & vinum alunt, & nutriunt hominē exteriorem ad vitam animale; ita corpus & sanguis Christi nutriunt hominem interiorem ad vitam spiritualem.

L. Analogiam hanc Secundariam & figurativā solum admittunt Calviniani, repudiata analogiā primariā. Sed falsō. 1. nequeunt suam significativam demonstrare ex verbis Institutionis. 2. a Physica qualitate progrediuntur ad mysteriū. Quærunt enim analogiam in officio signorum Physico, non mystico & sacramentali, 3. Contradiunt Paulo 1. Cor. 11. 34. Petro 1. Pet. 3. 21.


LI. Alter Error est, quod statuunt, fidem ingredi essentialē constitutionem Sacramentorū, & infideles non Sacramentum integrum ex re terrena & cœlesti constans, sed nudum accipere signum. Error ortum traxit ex neglecto discrimine promissionis gratiæ, & parti cœlestis. Cui errori fidem facere totis allaborant viribus, & quidē rationibus subsequentibus: 1. quod res spiritualis non nisi fide percipiatur. 2. extra usum institutum Sacramenta sint inania spectacula: legitimus v. usus in fide. 3. calculo suo approbet Apostolus. 1 Cor. 11. 20. 4. ἀτοπov sit, esse impium, & accipere rem signatam Sacramenti. 5. Omnes promissiones habeant annexam conditionem fidei. Ergo impijs nihil obsignant

obsignant, neq; conferunt quia impij fide destituti.

LII. Verum rationes ab Antagonistis prolatae
tantiponderis non sunt, ut à vera ad falsam nos
abducant sententiam; quin potius nuncium mit-
tentes falsae opinioni veritatem amplectimur cō-
trariamq; priori sententiae hifce fundamē-
tis roboramus. 1. quod fides non contineatur in
verbis institutionis. Quod v. in Baptismo fit men-
tio fidei, id ad salutarem usum seu finem referen-
dum. E. 2. à substantia Sacramentorum omnis ex-
cludatur intentio administrantis: jam par ratio-
tum intentionis in administrante, tum fidei in su-
mente. 3. Sacramenta pendeant à Deo instituen-
te & ordinante. Illa igitur incredulitas hominum
non tollit nec constituit. 4. Sacramentum quodli-
bet suam habeat peculiarem formam à fide distin-
ctam. Unius v. Sacramenti non nisi una forma.
5. Sacramenta specie distinguantur ac formis dif-
ferant. Fides non nisi una Eph. 4, 5. 6. Fides vere ac
propriè referatur ad finem. Finis v. extra rei es-
sentiam. Adijcit praeter has rationes & alias Cla-
riss. Dn. Praeses Praeceptor et atem colendus, in pra-
lectionibus publicis, quae consuli possunt.

LIII. Iam diluendae essent adversariorum, ob-
jectiones, verum cum responsiones pagella non ca-
piat, colophonem praesenti disputationi imponi-
mus, responsiones ipsi actu disputatione
rio reservaturi.

Θεῶν μόνων δόξαν





Farbkarte #13

B.I.G.

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8
Centimetres

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

REGII
UMENTIS
Quarta
SACRA-
UM FOR-
LI,
EHOVA
ESIDIO
RIS MEISNERI
D. & P.P.
o examinandam
nit
S CRUSIUS
Boruffus.
sti, boris pomeridianis
o minori.
BERGÆ,
annis Gormanni,
DC. XX